


2. Cor. II.
14.

7 Quapropter cum Paulus Apostolus iterum dicat, quia ipse satanas transfiguratur se in Angelum lucis; unde non esse mirum, si ministri ejus transfigurant se sicut ministros justitiæ; si verè iste aliquem Angelum vidit erroris nuntium, & de unitate catholica christianos separare cupientem, ipse passus est angelum satanæ, transfigurantem se velut Angelum lucis: si autem mentitur, & nihil tale vidit, ipse est minister satanæ, transfigurans se velut ministrum justitiæ. Et tamen ista omnia considerans, si nimium per-versus & pertinax esse noluerit, poterit ab omni vel aliena vel sua seductione liberari. Nos enim per occasionem tuam sine aliquo odio convenimus, hoc circa eum servantes quod Apostolus dicit: *Servum autem Domini litigare non oportet, sed mittem esse ad omnes, docibilem, patientem, in modestia corripientem diversa sentientes, ne fortè det illis Deus penitentiam ad cognoscendam veritatem, & respiscant de diaboli laqueis, captivati ab ipso in ipsius voluntatem.* Si ergo aliquid asperè diximus, non ad amaritudinem dissensionis, sed ad correctionem dilectionis valere cognoscat. Incolumis vivas in Christo, dilectissime & honorabilis frater.

2. Tim. 2.
14.

Epistolam ad Romanos
Epistolam ad Corinthios
Epistolam ad Galatas
Epistolam ad Hebraeos
Epistolam ad Thimotheum
Epistolam ad Titum
Epistolam ad Philemonem
Epistolam ad Colossenses
Epistolam ad Hebraeos
Epistolam ad Romanos
Epistolam ad Corinthios
Epistolam ad Galatas
Epistolam ad Hebraeos
Epistolam ad Thimotheum
Epistolam ad Titum
Epistolam ad Philemonem
Epistolam ad Colossenses

EPIS-



EPISTOLA C.*

Augustinus Donato proconsuli Africa, ut donatistas coercet, non occidat.

* Aliàs
CXXVII.
quæ autem
100. erat,
nunc 159.

Domino eximio, meritòque honorabili, insigniterque laudabili filio a DONATO AUGUSTINUS in Domino salutem.

1. NOLLEM quidem in his afflictationibus esse africanam ecclesiam constitutam, ut terrenæ ullius potestatis indigeret auxilio. Sed quia sicut Apostolus dicit: *Non est potestas nisi à Deo*; proculdubio cum per vos sincerissimos Catholicæ matris filios eidem subvenitur, auxilium nostrum in nomine Domini est, qui fecit cælum & terram. Quis enim non sentiat in tantis malis non parvam nobis consolationem divinitus missam, cum tu vir talis & Christi nominis amantissimus, proconsularibus es sublimatus insignibus; ut ab sceleratis & sacrilegis ausibus inimicos Ecclesiæ bonæ tuæ voluntati potestas sociata cohiberet, domine eximie, meritòque honorabilis, insigniterque laudabilis filii? Denique unum solum est, quod in tua justitia pertimescimus, ne fortè quoniam quidquid mali contra christianam societatem ab hominibus impiis

Scripta
circ. idem
tempus.

Rom. 13. I.

23. q. 5.
Unum.

a Donatus proconsulatum Africa gerebat exeunte an. 408. uti colligitur ex lege ad eum data 24. Novemb. quo munere functus non est ultra medium an. 410. quippe hoc anno 410. die 25. Junii data reperitur alia lex ad Africa proconsulem Macrovium.

piis ingratisque committitur, profectò gravius est & atrocius, quàm si in alios talia committantur, tu quoque pro immanitate facinorum, ac non potius pro lenitatis christianæ consideratione censeas coercendum: quod a te per ^a Jesum Christum ne facias obsecramus. Neque enim, vindictam de inimicis in hac terra requirimus, aut verò ad eas angustias animi nos debent coartare quæ patimur, ut obliviscamur quid nobis præceperit, pro cuius veritate ac nomine patimur: diligimus inimicos nostros, & oramus pro eis. Unde ex occasione terribilium iudicium ac legum, ne in æterni iudicii pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari; nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec ^b suppliciiis quibus digni sunt exerceri. Sic igitur eorum peccata compesce, ut sint quos pœniteat peccasse.

Hæreticos
corrigi
vult, non
necari.

2. Quæsumus igitur, ut cùm Ecclesiæ causas audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel afflictam esse cognoveris, potestatem occidendi te habere obliviscaris, & petitionem nostram non obliviscaris. Non tibi vile sit; neque contemptibile, fili honorabiliter dilectissime, quòd vos rogamus ne occidantur, pro quibus Dominum rogamus ut corrigantur. Excepto etiam quòd a perpetuo proposito recedere non debemus vincendi in bono malum; illud quoque prudentia tua cogitet, quòd causas ecclesiasticas insinuare vobis nemo præter ecclesiasticos curat. Proinde si occidendos in his sceleribus homi-

^a MSS. omnes uno excepto, *per ipsum Christum.*

^b Vaticani tres, & gallicani totidem MSS. habent, *nec supplicia.*

mines putaveritis, deterrebitis nos, ne per operam nostram ad vestrum iudicium aliquid tale perveniat: quo comperto illi in nostram perneciam licentiore audacia grassabuntur, necessitate nobis impacta & indicta, ut etiam occidi ab eis eligamus, quàm eos occidendos vestris iudiciis ingeramus. Hanc admonitionem, petitionem, obsecrationem meam ne quæso aspernanter accipias. Neque enim te arbitror non recolere, magnam me ad te, & multo quàm nunc es altiùs sublimatum, etiam si episcopus non essem, fiduciam tamen habere potuisse. Citò interim per edictum excellentiæ tuæ noverint hæretici donatistæ, manere leges contra errorem suum latas, quas jam nihil valere arbitrantur & jactant, ne vel sic nobis parcere aliquatenus possint. Plurimum autem labores & pericula nostra, quòd fructuosa sint, adjuvabis, si eorum vanissimam & impiæ superbiæ plenissimam sectam non ita cures imperialibus legibus comprimi, ut sibi vel suis videantur qualescumque molestias pro veritate atque justitia sustinere: sed eos, cùm hoc abs te petitur, rerum certarum manifestissimis documentis apud acta vel præstantiæ tuæ, vel minorum iudicum convicti atque instrui patiaris, ut & ipsi qui te jubente adtinentur, duram, si fieri potest, flectant in melius voluntatem, & ea ceteris salubriter legant. ONEROSIOR est quippe quàm utilior diligentia, quamvis ut magnum deseratur malum, & magnum teneatur bonum, cogi tantum homines, non doceri.

EPISTOLA CIII.*

* *Alidæ*
CCLIII.
quæ autem
103. erat,
nane, 212.

Nectario petenti veniam tribui civibus suis rescripserat Augustinus in epist. 91. non decere christianam benevolentiam, ut insigne illud calamensium scelus impunitum omnino dimittatur. Huic rursus scribit Nectarius, blandiens ac suppliciter suadens, ut iis parcatur sine ulla exceptione.

Domino rectè ac merito suscipiendo, & omnibus modis honorando fratri AUGUSTINO, NECTARIUS in Domino salutem.

Scripta
ante finem
Martii an.
409.

I. **SUMTIS** litteris eximietatis tuæ, quibus idolorum cultum, & templorum caerimonias destruxisti, audire mihi visus sum philosophi vocem, non illius, quem in academia Licæo memorant tenebrosis humo angulis residentem, ex profunda quadam cogitatione demersum, reductis ad frontem caput implicuisse genibus, ut aliorum præclara inventa doctrinæ egenus quidam calumniator oppugnet, assertaque præclare, cum suum nihil defendat, accuset: sed plane excitatus oratione tua ante oculos stetit M. Tullius consularis, qui innumeris civium capitibus conservatis, forensis campi signa victricis stupentibus Græciæ scholis, laureatus inferret, tubamque illam canore vocis & linguæ, quam in criminum reos & reipublicæ parricidas, spiritu justæ indignationis inflaverat, anhelus invertet,

ret, togamque ipsam rugarum paginis resolutis, palliorum imitatus speciem, retorqueret.
2. Ergo cum nos ad exsuperantissimi Dei cultum religionemque compelleres, libenter audivi, cum caelestem patriam intuendam esse suaderes, gratanter accepi. Non enim illam mihi civitatem dicere videbare, quam muralis aliquis gyrus coercet, nec illam, quam philosophorum tractatus mundanam memorans communem omnibus profitetur; sed quam magnus Deus, & benemerita de eo animæ habitans atque incolunt, quam omnes leges diversis viis & tramitibus appetunt, quam loquendo exprimere non possumus, cogitando forsitan invenire possemus. Hæc ergo licet principaliter appetenda atque diligenda sit; tamen illam non arbitror deserendam, in qua nati & geniti sumus: quæ prima nobis usum lucis hujus infudit, quæ aluit, quæ educavit, & ut quod ad causam propriè pertinet, dicam, de qua benemeritis viris, doctissimi homines ferunt, post obitum corporis in cælo domicilium præparari, ut promotio quædam ad supernam præstetur, his hominibus, qui bene de genitalibus urbibus meruerunt; & hi magis cum Deo habitent, qui salutem dedisse, aut consiliis, aut operibus patriæ doceantur. Jam illud quod joculariter dignatus es dicere: Urbem nostram non armis, sed flammis incendiisque flagrare, & spinas magis ingenerare quam flores, non est maxima reprehensio, cum sciamus flores ex spinis plerumque generari. Nam & rosas ex spinis gigni quis dubitat, & fruges ipsas aristarum vallo sepiri, ita ut asperis suavia plerumque misceantur?

Pos-

3. Postremum fuit in litteris præstantiæ tuæ, non caput aut sanguinem in Ecclesiæ postulari vindictam, sed quibus maximè metuunt spoliandos. Ego autem (nisi me opinio fallit) sic arbitror, gravius esse spoliari facultatibus, quàm occidi. Siquidem quod frequentatum in litteris nosti, mors malorum omnium aufert sensum, egestosa vita æternam parit calamitatem: gravius est enim malè vivere, quàm mala morte finire. Hoc etiam operæ vestræ indicat ratio, in quibus pauperes sustinetis, morbidos curatione relevatis, medicinam afflictis corporibus adhibetis: id postremò modis omnibus agitis, ut diuturnitatem calamitatis afflictis non sentiant. Quod autem ad modum pertinet peccatorum, nihil interest, quale videatur esse peccatum, cui indulgentia postulat. Primum enim si pœnitentia & veniam tribuit, & purgat admissum; pœnitet utique illum, qui rogat, qui pedes complectitur. Et si, ut quibusdam philosophis placet, omnia peccata paria sunt, indulgentia omnibus debet esse communis. Petulantius locutus est aliquis; peccavit: convicia aut crimina ingessit; æquè peccavit: aliena quisquam diripuit; inter delicta numeratur: loca profana sacrave violavit; non est ab indulgentia secernendus. Postremò nullus esset veniæ locus, nisi peccata præcederent.

4. Nunc quoniam non quantum debui, sed quantum potui, majus, ut dicitur, minusve respondi, oro atque obsecro, utinam præsentem possem, ut etiam lacrymas meas pervideres, ut qui sis, quid profitearis, quid agas, etiam atque etiam cogites; intendas
quæ

quæ sit illius species civitatis, ex qua ad supplicium ducendi extrahuntur; quæ sit matrum, quæ conjugum, quæ liberorum, quæ parentum lamentatio, quo pudore ad patriam venire possint, liberati, sed torti; quos renovat dolores aut gemitus, consideratio vulnerum & cicatricum. Et his omnibus pertractatis, Deum primò consideres, hominumque cogites famam, bonitatem amicam potius, familiaremque conjunctionem, & ignoscendo potius laudem, quàm vindicando conquiras. Atque hæc de his dicta sint, quos verus confessionis suæ reatus adstringit. Quibus quidem legis contemplatione, quod laudare non desino, veniam tribuistis. Jam illud explicari vix potes, quantum crudelitatis sit, innocentes appetere, & eos, quos à crimine constat esse discretos, in iudicium capitis devocare. Quos si purgari contigerit, cogites, quæso, quanta accusatorum liberabuntur invidia, cum reos spontè dimiserint victi, reliquerint innocentes. Deus summus te custodiat, & legis suæ te conservet præsidium atque ornamentum nostrum.



* Aliàs
CCLIV.
quæ autem
IC4. erat,
nunc 191.

EPISTOLA CIV.*

*Ad superioris epistolæ capita singula respon-
det Augustinus: id præter alia refellens, quod
ex stoïcorum placito Nectarius induxerat:
omnia peccata esse paria.*

Domino eximio meritòque honorabili ac sus-
cipiendo fratri NECTARIO, AUGUSTI-
NUS in domino salutem.

Scripta
post 6. kal.
Mart. an.
fortè 409.
CAPUT I.

I. LEGI litteras benignitatis tuæ, qui-
bus mihi longè postea respondisti, quàm meas
ad te perferendas dedi. Nam ego rescripse-
ram, cum adhuc nobiscum esset, neque na-
vigasset sanctus frater, & coëpiscopus meus
Possidius. Has autem quas mei causa illi dig-
natus es reddere, accepi sexto calendas Apri-
lis post menses fermè octo, quàm scripseram.
Cur ergo ad te tam serò mea scripta perve-
nerint, aut ad me tua, prorsus ignoro. Nisi
fortè modò rescribere prudentiæ tuæ pla-
cuerit, quod facere antè contemseras. Hoc si
ita est, miror unde sit. An aliquid audisti,
quod nos adhuc latet, fratrem meum Possi-
dium adversùs cives tuos (quos, pace tua
dixerim, multò salubriùs diligit ipse quàm
tu) quo plectantur severiùs impetrasse? Nam
hoc & epistola tua te metuere indicat, cum
admones, ut mihi antè oculos constituam,
"qualis illa sit species civitatis, ex qua ad
"supplicium ducendi extrahuntur: quæ sit ma-
"trum, quæ conjugum, quæ liberorum, quæ
"parentum lamentatio: quo pudore ad patriam
"ve-

"venire possint liberati, sed torti, quos re-
"novet dolores aut gemitus consideratio vul-
"nerum & cicatricum." Absit, ut ista cui-
quam inimicorum nostrorum vel per nos, vel
per quemquam, quod ingerantur, instemus:
sed, ut dixi, si aliquid tale ad te fama per-
tulit, apertiùs edissere, ut noverimus, vel
quid agere ne ista fiant, vel quid hæc cre-
dentibus respondere debeamus.

2. Litteras meas potiùs intuere, quibus
te rescribere piguit; illic enim satis expressi
animum nostrum, sed, ut opinor, oblitus quid
tibi rescripserim, omninò mihi alia longè di-
versa & dissimilia retulisti. Quippe quasi re-
cordatus, quod in litteris meis posui; hoc tuis
inseruisti, quod omninò non posui. Postre-
mum enim fuisse in litteris meis dicis, non
caput aut sanguinem in Ecclesiæ postulari vin-
dictam, sed rebus, quibus maximè metuunt
spoliandos. Deinde ostendens quantum sit hoc
mali, adjungis, atque contextis: nisi te opinio
fallit, arbitrari graviùs esse, spoliari faculta-
tibus, quàm occidi. Atque ut apertiùs ex-
ponas, de quibus facultatibus dixeris, pergis
atque addis, me frequentatum in litteris nos-
se, quòd mors malorum omnium auferat sen-
sum, egestosa autem vita æternam pariat ca-
lamitatem. Deinde conclusisti, graviùs esse in
malis vivere, quàm mala morte finire.

3. Et ego quidem nec in nostris, ad quas
me seriùs fateor animum applicuisse, quàm vel-
lem, nec in vestris, quas ab ineunte ætate
didici, litteris, uspiam legisse recolo, quòd
egestosa vita æternam pariat calamitatem. Nam
nec umquam peccatum est laboriosa pauper-
tas, & est aliquanta restrictio & coërcitio pec-
catorum. Ac per hoc non est metuendum, ne
"ve-
"cui-

cuiquam post hanc brevem vitam hoc ad æternam valeat animæ calamitatem, quòd pauper hîc vixerit; & in hac ipsa, quam in terris degimus, nullo modo ulla calamitas æterna esse poterit; cùm eadem vita æterna esse non possit, quæ nec saltem diuturna est, ad quamlibet ætatem, senectutemque pervenerit. Hoc enim potiùs in illis litteris legi, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, in qua tu arbitraris, & frequentatum in litteris jam mœnes, æternam esse posse calamitatem: mortem autem malorum omnium esse finem, habent quidem vestræ litteræ, sed nec ipsæ omnes; epicureorum est quippe ista sententia, & si qui alii mortalem animam putant. At illi quos Tullius quasi consulares philosophos appellat, quòd eorum magnipendat auctoritatem, quoniam cùm extremum diem fungimur, non extingui animam, sed emigrare cœsent, & ut mèrita quoque ejus asserunt seu bona, seu mala, vel ad beatitudinem, vel ad miseriam permanere; hoc congruit & litteris sacris, quarum me cupio litteratorem. Malorum ergo finis est mors, sed in eis quorum casta, pia, fidelis, innocens vita; non in eis qui temporalium nugarum & vanitatum cupiditate flagrant, & cùm hîc sibi felices videntur; ipsa voluntatis pravitate miseri convincuntur, & post mortem graviore miseria non habere tantùm, verùm etiam sentire coguntur.

4. Hæc ergo cùm & vestris quibusdam, quas honorabiliùs habetis, & nostris omnibus litteris frequententur, ò bone dilector etiam terrenæ patriæ tuæ, luxuriosam vitam time civibus tuis, non egestosam: aut si egestosam times, illam potiùs egestatem mone devitandam, quæ magna licèt rerum terrenarum prospere-

peritate circumfluat, eis tamen insatiabiliter inhians, ut vestrorum ipsorum verbis utar auctorum, neque copia, neque inopia minuitur. Verumtamen in illis, quibus respondisti litteris meis, inimicos Ecclesiæ cives tuos, nec illa egestate dixi emendandos, ubi necessaria naturæ desunt, cui succurrit misericordia, de qua nobis etiam præscribendum putasti, quòd operum nostrorum hoc indicet ratio, quibus pauperes sustinemus, morbosos curatione relevamus, medicinam afflictis corporibus adhibemus (quamquam & sic egere utilius sit, quàm ad satiandam nequitiam rebus omnibus abundare) sed absit, ut ego illa coërcitione ad hanc ærumnam eos, de quibus agimus, redigendos esse censuerim.

5. RECENSE epistolam meam, si tamen dignam habuisti, si non quam relegeres, cùm ei fuisset respondendum, saltem quam ita responderes, ut tibi jubenti, cùm volueris, proferretur, & adtende quid dixerim: hoc profectò invenies, cui te non respondisse, quantum existimo, fatearis. Nam ex epistola illa mea verba nunc inero: "Non præterita, inquam, vindicando pascere iram nostram studemus, sed misericorditer in futurum consulendo sagtagimus. Habent homines mali ubi & per christianos non solùm mansuetè, verùm etiam utilitèr salubriterque plectantur. Habent enim quòd corpore incolumi vivunt, habent unde vivunt, habent unde malè vivunt. Duo prima salva sint, ut quos pecciteat, sint; hoc optamus, hoc, quantum in nobis est, etiam impensa opera instamus. Tertium verò si Dominus voluerit, tamquam putre noxiumque reseccare, valdè misericorditer puniet." Hæc verba mea si recensuis-

CAPUT II.

ses, cum mihi rescribere dignareris, non solum de morte, sed & de tormentis corporalibus evitandis eorum, pro quibus agis, nos invidiosius, quam officiosius rogandos putares: quorum dixi, velle nos in eis salvum esse, quod incolumes corpore vivunt. Nec egestosam vitam, ut victu indigeant ab aliis impartito, per nos eis utique formidares; quorum & illud secundum dixi, velle nos salvum, quod habent unde vivunt. Tertium vero quod habent unde male vivunt, id est, ut nihil aliud dicam, certe unde falsorum deorum argentea fabricavere simulacra, pro quibus vel servandis, vel adorandis, vel sacrilego ritu adhuc colendis, usque ad ecclesiae Dei prosiliatur incendium, & religiosissimorum pauperum sustentacula infelici vulgo diripienda praebeantur, sanguisque fundatur; tu qui tuae consulis civitati, quare metuis resecari, ne omnimodo impunitate perniciose nutriatur & roboretur audacia? Hoc nobis edisserere, hoc doce circumspecta disputatione, quid mali sit diligenter adtende quod dicimus, ne id quod vobis dicimus, velut specie petendi quodammodo accusatione obliqua objicere videaris.

6. Sint honesti cives tui, probis moribus, non superfluis facultatibus: non eos volumus ad aratrum Quintii, & ad Fabricii focum per nos illa coercitione perducere. Qua paupertate illi romanae reipublicae principes non solum non viluerunt civibus suis, sed ob eam fuerunt praecipue cariores, & patriae gubernandis opibus aptiores. Ne illud quidem optamus aut agimus, ut patriae tuae divitibus illius Ruffini bis consulis * argenti solum decem pondo remaneant, quod tunc laudabiliter severa censura adhuc resecandum tamquam vitium judi-

* *Low.* argenticulus decerpendo remaneat.

dicavit. Tantum nos consuetudo decoloris aetatis nimium marcidas animas mitius contrectare persuadet, ut mansuetudini christianae, quod illis censoribus justum visum est, nimium videatur: & vides quam multum intersit, utrum jam punienda culpa sit tantum habere, an propter alias gravissimas culpas, ut tantum quis habeat permittere; quod tunc jam fuit peccatum, nunc volumus sit saltem poena peccati. Sed est quod fieri possit, & debeat, ut nec usque ad ista progrediatur severitas, nec nimis secreta latetur & debacchetur impunitas, & imitationis exemplum ad gravissimas & occultissimas poenas infelicibus proponatur. Saltem concede, ut nimium superfluis suis timeant, qui necessaria nostra incendere ac vastare moliantur. Liceat & hoc beneficium tribuere inimicis nostris, ut dum metuunt rebus, quas noxium non est amittere, quod sibi noxium est, non conentur admittere. Neque enim haec dicenda est vindicta peccati, sed tutela consilii: non est hoc irrogare supplicium, sed ab excipiendo supplicio communire.

7. Quisque imprudentem cum aliquo sensu doloris privat, ne supervacuis sceleribus assuefactus poenas atrocissimas pendat; puero capillos vellit, ne serpentibus plaudeat; atque ita, ubi molesta dilectio est, nullum membrum laeditur, unde autem deterret, salus & vita periclitatur. Non tunc benefici sumus, cum id quod a nobis petitur, facimus, sed cum id facimus, quod non obsit petentibus. Nam pleaque non dando prosumus, & noceremus, si dedissemus. Unde illud proverbium: *Nec puero gladium. Tu vero*, inquit Tullius, *na unico quidem filio.* Quo enim quemquam ma-

ximè diligimus, eò minùs ei debemus, in quibus magno periculo peccatur, committere. Et de divitiis, ni fallor, cùm hæc ageret, loquebatur. Proinde quæ periculosè malè utentibus committuntur, salubriter etiam pleurumque detrahuntur. Medici cùm vident secandam urendamque putredinem, sæpe adversùs multas lacrymas misericorditer obsurdescunt. Si quoties parvuli, vel etiam grandiusculi veniam peccantes deprecati sumus, toties à parentibus, vel magistris accepissemus; quis nostrum tolerandus crevisset? quis aliquid utile didicisset? providenter ista, non crudeliter fiunt. Ne quæso in hac caussa nihil aliud intendas, nisi quemadmodum apud nos efficias, quod rogaris à tuis: omnia verò diligenter considera. Si præterita negligis, quæ fieri jam infecta non possunt, aliquantum prospice in posterum: non quid cupiant, qui te rogant, sed quid eis expediat prudenter adtende. Non sanè fideliter eos amare convincimur, si hoc solum intuemur, ne, non faciendo quod poscunt, minuatur quod amamur ab eis. Et ubi est, quòd & vestræ litteræ illum laudant patriæ rectorem, qui populi utilitati magis consulat quàm voluntati?

CAP. III. 8. NIHIL interest, inquis, quale videatur esse peccatum, cùm indulgentia postulatur. Rectè hoc diceres si de puniendis, non de corrigendis hominibus ageretur. Absit enim à corde christiano, ut libidine ulciscendi ad pœnam cujusque rapiatur. Absit ut in dimittendo cuique peccatum, aut non præveniat præces rogantis, aut certè continuò subsequatur: sed hoc utique ne oderit hominem, ne malum pro malo retribuatur, ne nocendi inflammetur ardore, ne vindicta etiam
le-

lege debita pasci desideret; non autem ne consulat, ne prospiciat, ne compescat à malis. Fieri enim potest, ut vehementiùs adversando, emendationem quisque negligat hominis, quem graviùs odit; & nonnulla molestia reddat coërcendo meliorem, quem maximè diligit.

9. Nam & pœnitentia, sicut scribis, impetrat veniam, & purgat admissum; sed illa quæ in vera Religione agitur, quæ futurum judicium Dei cogitat; non illa quæ ad horam hominibus, aut exhibetur, aut fingitur, non ut à delicto anima purgetur in æternum, sed ut interim à præsentis metu molestiæ vitæ citò peritura liberetur. Hinc est quod christianis confitentibus atque deprecantibus, qui delicto illo fuerant implicati, vel non succurrendo arsuræ Ecclesiæ, vel de sceleratissimis rapinis aliquid auferendo, pœnitentiæ dolorem fructuosum esse credidimus, eisque ad correctionem sufficere existimavimus; quòd inest cordibus eorum fides, qua considerare possent, quid de divino judicio formidare deberent. Quæ autem pœnitentia sanare potest eos, qui fontem ipsum indulgentiæ non solum agnoscere negligunt, verum etiam irridere ac blasphemare non desinunt? & contra hos tamen inimicitias in corde non retinemus, quod illi patet ac nudum est, cujus & in præsentis, & in futura vitæ & timemus judicium, & speramus auxilium. Sed arbitramur nos etiam pro ipsis aliquid providere, si homines qui Deum non timent, aliquid timeant, quo non eorum lædatur utilitas, sed vanitas castigetur; ne ab eis Deus ipse quem spernunt, noxia securitate, audacioribus factis graviùs offendatur; & ne aliis ad imitandum, eadem ipsa securitas multò perniciosiùs
pro-

proponatur. Denique pro quibus abs te rogamur, nos pro illis Deum rogamus, uti eos ad se convertat, ut fide mundans corda eorum, veracem ac salubrem agere poenitentiam doceat.

10. Ecce quanto eos, quibus nos arbitraris irasci, pace tua dixerim, ordinatius quam tu, utiliusque diligimus, pro quibus & ad evitanda tanto majora mala, & ad consequenda tanto majora bona, deprecamur. Quos etiam tu, si ex Dei caelesti munere, non ex hominum terreno more diligeres, sinceriterque mihi rescriberes, quod cum te ad exsuperantissimi Dei cultum religionemque compellerem, libenter audieris, non solum hæc eis optares, sed eis ad hæc ipse præires. Sic omne apud nos tuæ petitionis negotium cum magno & sano gaudio finiretur. Sic illam caelestem patriam, quam cum intuendam esse suaderem, libens te accepisse dixisti, ex hujus etiam, quæ te carnaliter genuit, vera & pia dilectione promereris, verè consulens tuis non ad vanitatem lætitiæ temporalis, nec ad impunitatem perniciosissimam sceleris, sed ad gratiam sempiternæ felicitatis.

11. Habes expositas in hac causa cogitationes & vota pectoris mei. Quid autem lateat in consilio Dei, fateor, homo sum, nescio: quidquid illud est, id est justius, atque sapientius, & firmissimè stabilitum, incomparabili excellentia, præ omnibus mentibus hominum. Verum est quippe quod legitur in libris nostris: *Multæ cogitationes sunt in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum.* Proinde quid tempus afferat, quid nobis facultatis aut difficultatis oriatur, quid postremò voluntatis ex rerum præsentium, vel

vel correctione, vel spe, subito possit existere; utrùm Deus sic indignetur his factis, ut ea, quam petunt, impunitate magis severiusque puniantur, an illo modo, quo nobis placet, coercendos misericorditer judicet, an aliqua duriore, sed salubriore eorum præcedente correctione, nec ad hominum, sed ad suam misericordiam veraci conversione, quidquid terroris præparabatur, avertat & convertat in gaudium; jam novit ipse, nos autem ignoramus. Quid ergo hic ante tempus, inter nos ego & præstantia tua frustra laboremus? Seponamus paululum curam, cujus hora non est, & quod semper instat, si placet, agamus. Nullum enim tempus est, quo non deceat, & oporteat agere, unde Deo placere possimus, quod in hac vita usque ad eam perfectionem impleri, ut nullum omninò peccatum insit in homine, aut non potest, aut fortè difficillimum est: unde præcis omnibus dilationibus, ad illius gratiam confugiendum est, cui verissimè dici potest, quod carmine adulatorio nescio cui nobili dixit, qui tamen ex Cumæo, tamquam ex prophetico carmine se accepisse confessus est:

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,

Irrita perpetua solvent formidine terras.
Hoc enim duce, solutis omnibus dimissisque peccatis, hac via ad caelestem patriam pervenitur, cujus habitatione cum eam tibi amandam, quantum potui, commendarem, admodum delectatus es.

12. SED quia dixisti, quod omnes eam CAP. IV.
leges diversis viis & tramitibus appetant; vereor ne fortè, cum putas etiam illam viam,
in

Virg.
Eclog. 4.

in qua nunc constitutus es, eò tendere, pigrior sis ad eam tenendam, quæ illuc sola perducit. Sed rursus verbum quod posuisti diligenter attendens, videor mihi tuam non impudenter aperire sententiam: neque enim dixisti, quam omnes leges diversis viis & tramitibus assequuntur, aut ostendunt, aut inveniunt, aut ingrediuntur, aut obtinent, aut aliquid ejusmodi; sed dicendo, *appetunt*, librato verbo, atque perpenso, non adeptionem significasti, sed adipiscendi cupiditatem. Ita nec illam, quæ vera est, exclusisti, nec alias, quæ falsæ sunt, admisisti: & illa quippe appetit, quæ perducit, nec perducit omnis, quæ hoc appetit; quò quisquis perducitur, sine ulla dubitatione beatus est. Beati autem omnes esse volumus, hoc est, appetimus, nec tamen omnes qui volumus, possumus, hoc est, quod appetimus, adipiscimur. Ille ergo adipiscitur, qui viam tenet non solum qua id appetit, sed qua etiam pervenitur, relinquens alios in itineribus appetendi, sine fine adipiscendi. Quoniam nec error esset si nihil appeteretur, nec si appetita veritas teneretur. Si verò diversas vias ita dixisti, ut non intelligamus adversas, sicut dicimus diversa præcepta, quæ tamen omnia bonam ædificent vitam, alia de castitate, alia de patientia, alia de fide, alia de misericordia, & si quæ sunt cetera, non solum appetitur viis & tramitibus ita diversis illa patria, verum etiam reperitur. Nam & in Scripturis sanctis & viæ leguntur, & via: viæ, sicut illud est: *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*: via, sicut illud: *Deduc me in via tua, & ambulabo in veritate tua*. Non aliæ illæ, alia

Psal. 50.
15.
Psal. 85.
11.

ista, sed omnes una, de quibus alio loco eadem sancta Scriptura dicit: *Universæ viæ Domini misericordia & veritas*: quæ si diligenter considerentur, copiosum pariunt sermonem, intellectumque suavissimum: quod si opus fuerit, in tempus aliud differam.

13. Nunc autem, quod satis esse arbitror pro suscepto officio rescribendi præstantiæ tuæ, quoniam Christus dixit: *Ego sum via*; in illo quærenda est misericordia & veritas; ne si alibi quæsierimus, erremus, tenentes appetentem viam, sed non etiam perducen-
Joan. 14. 6.
tem. Velut si hanc ipsam tenere vellemus, unde quiddam commemorasti: *Omnia peccata esse paria*; nonnè ab illa patria veritatis, & beatitatis, nos longè exsules mitteret? Quid enim absurdius, quid insanius dici potest, quàm ut ille, qui aliquanto immoderatiùs riserit, & ille qui patriam truculentiùs incenderit, peccasse judicentur æqualiter? Quam quidem tu ex quorundam philosophorum opinione non diversam viam, quæ tamen ducat ad cælestem habitationem, sed planè perversam, quæ ducit ad perniciosissimum errorem, non pro tuo sensu, sed pro cæssa civium tuorum adhibendam putasti; ut sic ignoscamus eis, quorum sæviti-
vi-
um ignibus arsit Ecclesia, quemadmodum ignosceremus, si ab eis aliquo petulanti convicio appeteremur.

14. Sed quemadmodum id adstruxeris vide: *Et si, ut quibusdam, inquis, philosophis placet, omnia peccata paria sunt, indulgentia omnibus debet esse communis*. Deinde cum quasi moliris ostendere omnia paria esse peccata, subjungis & dicit: *Petulantius locutus est aliquis, peccavit*; con-

vicia aut crimina ingessit, æquè peccavit. Hoc non est docere, sed id quod perversè sentitur, sine ulla documentorum adstructione proponere. Ad hoc enim, quod dicis, *æquè peccavit*, citò respondetur: Non æquè peccavit. Exigis fortassis ut probem: quid enim, tu, quòd æquè peccaverit, jam probasti? An illud quod jungis audiendum est: *Aliena quisque diripuit; inter delicta numeratur?* Hic etiam tu ipse verecundatus es: puduit enim te dicere quòd peccavit æqualiter; sed, *inter delicta*, inquis, *numeratur.* Non autem ibi quæstio est, utrùm & hoc inter delicta numeretur, sed utrùm hoc illi delicto æqualitate jungatur. Aut si propterea sunt paria, quia utraque delicta sunt; mures & elephantis pares erunt, quia utraque sunt animalia; muscæ & aquilæ, quia utraque volatilia.

15. Adhuc etiam progredieris, & conjectas: *Loca profana, sacraque violavit; non est ab indulgentia secernendus.* Hic sanè de violatis sacris locis, ad facinus tuorum civium pervenisti; verùm locutioni petulanti, nec tu ipse coæquasti: tantummodo eis petisti indulgentiam, quæ rectè petitur à christianis propter abundantem miserationem, non propter peccatorum parilitatem. Ego autem suprâ posui scriptum in litteris nostris: *Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Consequentur itaque misericordiam, si non oderint veritatem. Quæ non quasi æquè peccantibus, ac si petulantiùs locuti sint; sed de scelere immanissimo atque impio rectè pœnitentibus christiano jure debetur. Tu verò, vir meritò laudabilis, ne quæso ista paradoxa stoïcorum sectanda doceas paradoxum tuum, quem

*Psal. 24.
10.*

quem tibi optamus vera pietate ac felicitate grandescere. Nam quid generosus adolescens sapere iniquius, & tibi ipsi periculosius potest, quàm si convicio in quemlibet extraneum jaculato, non dico parricidium, sed ipsum in patrem convicium coæquaverit?

16. Convenienter itaque apud nos pro civibus tuis agis, ingerendo nobis misericordiam christianorum, non duritiam stoïcorum: quæ causæ à te susceptæ, non modò nihil suffragatur, verùm etiam multùm adversatur. Nam ipsam misericordiam, quam si non habeamus, nulla tua petitione, nullis illorum precibus flecti poterimus, in vitio stoïci ponunt, eamque à sapientis animo penitus expellunt, quem prorsus ferreum & inflexibilem volunt. Meliùs itaque tibi occurreret de tuo Cicerone quod diceres qui Cæsarem laudans, inquit, *de virtutibus tuis admirabilior, vel gratior misericordia est.* Quanto magis debet ea in Ecclesiis prævalere, quando eum sequuntur qui dixit: *Ego sum via;* & legunt: *Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Noli ergo metuere innocentibus, ne moliamur exitium, qui nec nocentes volumus ad dignum supplicium pervenire: prohibente nos illa misericordia, quam in Christo cum veritate diligimus. Sed qui vitiis nutriendis parcat & fovet, ne contristet peccantium voluntatem, tam non est misericors, quàm qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem, & non timet, ne vulneratum doleat vel exstinctum. Serva ergo tempori opportuno, quod apud nos agas pro his hominibus, in quorum dilectione (daviem) non solum nos minimè præcedis, sed nec adhuc sequeris; & rescribe potiùs quid te

*Orat. pro
2. Ligario.*

*Joan. 14.
6.
Ps. 24. 10.*

*Ivo p. 10.
cap. 79.
Grat. 23. q.
5. Qui vitiis.*